



Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1431. usque ad annum 1441

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118316

§. 52. Synodi decreta, exceptis iis, quæ contra Eugenium sancita sunt, recepta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66426](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66426)

Sæcul. XV.
A. C. 1439.

§. LII.

Synodi decreta, exceptis iis, quæ contra Papam sancita sunt, recepta.

Post varias, plurimasque contentiones tandem visum est Principibus Moguntiaë congregatis, decreta Concilii in quoque Natione esse recipienda, exceptis tamen illis, quæ adversus Eugenium Papam condita fuissent: vicissim Basileensium Deputati operam se duros pollicebantur, ut Eugenius Imperatoris, Regum, ac Principum votis satisfaceret: hac tamen lege, ut & ipsi interposita de, & auctoritate sua Concilium sub eadem norma, iisdem legibus, ordine, ac ritibus, prout hactenus Basileæ institutum esset, etiam post illius translationem continuandum urgerent; sique Eugenius intra præstitutam sibi temporis moram veritates a Concilio stabilitas ratihaberet, nec illius statutis acquiesceret, omnes Principes abdicata ejus obedientia Synodum foverent, illiusque iudicio starent. Hæc omnia die vigesima sexta Mensis Martii Moguntiaë actitata fuere, diserte tamen Conchensis Episcopus protestabatur, ejusmodi conditiones nec a summo Pontifice acceptari posse, nec unquam Germaniaë Principes illis

illis consensuros. Quapropter Basileen-^{Sæcul. XV.}
 sum Deputati, cum in principali Lega- ^{A.C. 1439.}
 tionis suæ negotio nihil omnino obti-
 nere possent, re infecta discedere coge-
 bantur. His abeuntibus duo, quos Pon-
 tificis Legati ablegarunt, Moguntiam
 adveniebant, atque, ut Principes suam
 de recipiendis Synodi decretis senten-
 tiam revocarent, omni opera ac studio
 connitebantur: sed optati successus spe
 frustrati, de Principum favore, quo Basi-
 leenses non sine Pontificiæ auctoritatis
 præjudicio prosequerentur, vehementer
 conquesti sunt, palam profitentes, talia,
 inaudito summo Pontifice, attentari non
 debuisse.

§. LIII.

De Judicio Westphaliæ.

Sub idem tempus Albertus Imperator
 datis ad Basileenses literis eos horta- ^{Acta Patriæ:}
 batur, ut causam quamdam profanam ad ^{l. cit. p. 1566}
Judicium Westphaliæ, quod *secretum* ap-
 pellabant, remitterent. Hoc tribunal a
 Carolo Magno ideo institutum tradunt,
 ut Saxones tunc gentem adhuc barba-
 ram ac ferocem, necnon cædibus, latro-
 ciniis, crebrisque seditionibus assuetam
 in officio contineret. Progressu tempo-
 ris Imperatores istud iudicium tanti fe-
 cerunt, ut ab illo provocantes ferme nun-
 quam

H h 3